



**R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia**

**Tamburini, Tommaso**

**Lugduni, 1689**

2. An sufficiat consensus, quando non cognoscitur impedimentum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

Leandr. disp. 6. de matrim. q. 4. Hurt. l. c. contra Filliuc. & Ochag. cum aliis, recte addens, probabilius esse, illam traditionem tunc non esse Matrimonium: huius enim essentia requirit mutuum coniugum consensum, ut habemus dictum est.

4. Quod autem requiratur coniugum Consensus, & non alterius, v.g. parentum ad Matrimonii validitatem, habes loculenter apud Bellarm. lib. 1. de matr. c. 19. & 20. An verò licite filius, invitis parentibus, consensum Matrimonio præbeat, diximus nos lib. 1. cap. 2. §. 3. Lege item Barbolam in Voto decisivo, &c. an valeat statutum afficiens pœnis filios sine consensu parentum contrahentes: ubi affirmantes alios, melius negantes refert.

5. Denique, cum certum sit, nullum confurgere Matrimonium ex consensu si quo quæri possit an sic si cetera contrahens obligetur verè consensire: sed id colligitur ex dictis supra, tract. 3. de sponsal. c. 1. §. 4.

§. II. An sufficiat Consensus, quando à contrahente non cognoscitur impedimentum dirimentis.

1. Titius & Berta, dum sive uterque, sive alteruter dubitarent, an inter ipsos esset impedimentum consanguinitatis (idem die quocunque impedimento dirimente) contraxerunt Matrimonium, sed non multo post cognoverunt, nullum fuisse ejusmodi impedimentum: fuisse validum Matrimonium? Quid secundo, si certò, putassent, adesse impedimentum, quod verè non erat?

2. Respondeo ad primum, Matrimonium esse validum. Ita Sanch. lib. 2. matrim. disp. 3. 3. Caltrop. disp. 2. de sponsal. pu. 1. §. 9. Hurt. disp. 3. de matr. diff. 7. n. 21. & communiter. Ratio est, quia sic contraxerunt, quasi sub conditione de præfenti, si habiles sumus: at iam habiles erant, ergo iam absolutus de facto, atque adeo efficax fuit consensus.

3. Respondeo ad secundum, Matrimonium esse invalidum. Contra hanc responsionem habemus Sanchez cit. Covar. & Gutierrez adducto à Caltrop. loco citato num. 8. Ratio nostræ responsionis est, quia qui firmiter credit laborare impedimento dirimenti, nec absolute, nec sub conditione potest efficaciter consensire Matrimonio; Non absolute, ut certum est, & ipsi adversarii fatentur; quia id quod ut impossibile apprehenditur, non potest quis efficaciter velle. Non sub conditione, sic, si forte possit, si forte sit habilis, si forte sit impedimentum non adfuit, nam si quis se sic haberet, iam non firmiter putaret, sed subdubitaret, se posse, se habilem esse, se impedimentum habere, atque adeo essemus in casu præcedentis numeri.

4. Neque obstat primum argumentum, quo utitur Sanch. l. c. quod scilicet excommunicantur, qui sic contrahunt, unde supponuntur, posse habere verum consensum, non obstat, inquam, nam excommunicantur, non quia validum fecerint Matrimonium, sed quia contrahere attentaverint.

5. Neque obstat secundum argumentum, quo Idem utitur, quia in iure ex sponsalibus nullis ratione impedimenti oritur publica honestas, modò ad sit consensus, unde supponit Textus, posse adesse consensum cum impedimento dirimenti; non obstat, inquam, quia dictum ius disposuit, ut talis consensus attentatus pareret publicam dictam honestatem, quamvis verus non esset.

6. Neque denique tertio obstat paritas ab eodem allata ab hæretico, qui quamvis certò putet, Baptismum non esse Sacramentum, tamen validè baptizat; non obstat, inquam, quia in hæretico supponitur, esse intentio faciendi quod facit Ecclesia, quæ intentio prævalet. 11. quod non invenitur in casu nostro, ut supponimus. Lege Hurtad. l. c. n. 23.

7. Quid si contraxerunt cum impedimento v.g. cum consanguinitate, sed deinde post dispensationem obren-tam v.g. à Confessario, illi iterum consenserunt, quam

Par. 111.

tamen dispensationem ipsis Confessarius non aperuit, validumne tunc esset Matrimonium?

Respondeo, adhuc invalidum: ita Boss. de matr. c. 2. n. 82. contra Paludan. & Ang. putantes esse validum saltem ex eo capite; quia si aliud non addatur, consensus hic novus solum fuit ratificatio consensus prioris, qui cum fuerit nullus, consequenter, & ipsa ratificatio nulla erit. Dixi (saltem ex eo capite) nam, an ex illo alio, quod nondum ipsi dispensationem concessam acceptaverint, colligi possit ex à me dictis sup. lib. 5. de pœn. in tract. de cas. reser. c. 9. §. 1. à n. 18.

§. III. Circa quod versari debet consensus contrahentium.

1. Controversum, & sanè dignum, quod explicetur, est, de quanam re debeat, seu circa quod obiectum debeat versari consensus, tum ut validum sit, tum ut licitum matrimonium? In Matrimonio enim tria veluti collecta inveniuntur Bonum Sacramenti, Bonum prolis, Bonum fidei, hoc est Matrimonium ex natura sua Primò, affert indissolubilitatem, quia est Sacramentum iuxta illud Sancti Pauli Sacramentum hoc magnum est, Ego autem dico in Christo, & Ecclesia, ut scilicet, sicuti Christus Dominus indissolubiliter est coniunctus cum Ecclesia, ita vir cum uxore modo superius explicato. Secundò, affert intentionem generandi prolem, illamque educandi. Tertio, necessitatem servandi fidem inter ipsos coniuges: atque ad horum aliquod reducuntur alia in matrimonio inclusa, qualis est cohabitatio coniugum, obligatio reddendi debitum, & similia.

2. Querimus ergo, An si quis matrimonium contrahat, non intendendo prædicta omnia bona inclusa in matrimonio, validè, & licitè contrahat? Quid, si intendat alios fines extrinsecos matrimonio; intendat, v.g. divitias ex dote acquirere, honorem ex familia, coniugii voluptatem, & similia?

An validè?

3. Si quis mente intendat, sive explicitè, sive implicitè (quod implicitum hic evenit, quando non intenditur contrarium) se obligare ad illa tria, scilicet ad perpetuitatem, ad prolem, ad servandam fidem, validè matrimonium contrahit; invalidè verò, si positivè habeat animum non se obligandi ad hæc. Ita Sanch. lib. 2. matr. d. 29. G. Hurt. de matr. disp. 3. diff. 1. aliiq. Ratio quæ dictum hoc simul probat, & explicat, est, quia, ut modò diximus, de essentia matrimonii est consensus tradendi corpus, quo consensu coniux se obligat, ad prolem generandam, fidemque servandam. At verò ipsa executio generationis, vel ipsa actualis custodia fidei de essentia non est: possum enim ego, me obligare; v.g. ad servandam castitatem, licet animum habeam ejusmodi obligationem (sanè cum peccato) non observandi. Cum igitur prædictus contrahens, de quo loquimur, intendat se, sive explicitè, sive implicitè, ut dixi, hanc obligationem subire, substantiam matrimonii ponit, atque adeo contrahit validè; imò id etiam erit, si intendat, se obligare ad statum perpetuitatem, quod est Bonum Sacramenti, cetera verò bona, puta Bonum prolis, & Bonum fidei, non excludat. Nam sic, quasi in radice includit cetera dicta bona.

4. Quod si omnem obligationem, vel etiam solutam unam ex prædictis tribus, v.g. perpetuum statum excludat, tunc nullum esse Matrimonium patet ex dictis, quia non habetur sic matrimonii essentia. Lege Hurtad. disp. 7. diff. 9. & Perez de matr. di. 13. sect. 5.

An licitè?

Vbi, qualis finis debeat intendi à contrahente Matrimonium, ne is peccet.

5. Finis alius est principalis, ad quem scilicet quis principaliter

R 2